



PHILIPPVS Longus Ludouici Hutini Francorū Regis frater, successit ei in regno Franciæ anno mundi 5277. à Christo nato 1315. Hic Longus dictus est ob corporis proceritatem ac gracilitatem: id vnum mirum est, quòd neque ab ecclesia, neque à populo quæ petebat tributa & vectigalia impetrare potuerit. Puteos elephãtiaci à Iudeis persuasi, veneno infecerunt: quæ res occasionem vt pestis grassaretur præbuit: sed vtrique miserè, dato supplicio, perierunt. Constituerat Rex efficere vt vbiq; ponderis, mensuræ & pecunię ratio eadem esset: sed morte præuentus id præstare non potuit. obiit anno regni, quod per Saliquam legem adeptus erat, quinto, nullis confectis bellis: nam festa pax vndique ridebat. in æde D. Dionysij conditus est. Vide Paulum Aemylum de rebus Francorum lib.8. Gaguin. lib.7. & Carionem lib.3.

CAROLVS huius nominis quartus, cognominatus Pulcher, Philippi Lõgi frater, Nauarræ Rex, quemadmodũ & tres Francorum Reges superiores, succedit fratri in Franciæ regno anno mūdi 5282. à Christo nato 1320. Hic in scelera seuerissimè animaduertit, iustitiæ & æquitatis cultor fuit. Aquitaniam ingressus, Regum hic primus Papæ decimas permisit, vt quæstus particeps fieret. has autem colligebat Papa, vt bello lacefferet Ludouicum Bauarum Imperatorem, quem hostem scilicet ecclesiæ iudicauerat. Regnat annos septem: moritur ad saltũ Vicenarum, sepultus in æde D. Dionysij, relicta vxore grauida. Vide autores quos supra.